

PAsserii mei fortunæ tribuendum puto, ut quæ in ædium suarum vestibulo servat antiqua Marmora, omnia ferme peculiari observatione digna sint. Superior Inscriptio *Equitem Triplarem* protulit, hæc Gallieni Augusti Libertum *a gemma potoria*. Liberos *a Laguna* seu *Lagena*, *a cyato*, *a poculento argento*, *ab argento potorio*, *ab auro potorio*, *ab auro gemmato*, plures jam, antiquæ Inscriptiones exhibuerunt. Libertus autem *a gemma potoria* nunc primum ex hac singulari Inscriptione prodit. Romanorum luxum eo pervenisse, ut excavatis in poculorum modum rarioribus gemmis biberent, animadverterunt jam, cumulatissimisque veterum Scriptorum testimoniis probaverunt Jo: Meursius de Luxu Rom. cap. VIII. & Stanislaus Kobierzyckius lib. II. de Luxu Romanorum cap. 10. Gallienum luxui apprime deditum pingit Trebellius Pollio in ejus vita, & illius quoque pocula describit. *Bibit*, inquit, *in aureis semper poculis, aspernatus vitrum, dicens nil eo esse communius*. Gemmâ tamen, non aureo poculo bibisse Inscriptio nostra evincit.

Parte lava hujus marmoris alia visitur Inscriptio literis rudioribus efformata, quam diverso charactere Typographus expressit. Hinc suspicari licet, defuncto jam Amazonio, ejusque cineribus ollæ in Columbario sitæ consignatis, ac titulo superimposito, inlatos Cornelix Augustæ libertæ cineres in proximam ollam (binæ enim in unoquoque ollario, sive columbarii loculo ollæ constituebantur, ut ex Fabretto, Blanchinio, & Gorio notum est) inscriptumque illius nomen & officium titulo jam parieti æneis vel ferreis clavis infixio; idcirco marmorarium pari elegantia posterioris Inscriptiois literas efformare non potuisse.

A. CALAMISTRO. Inter plurima, quæ ad comam ornandam adhibita fuerunt instrumenta, principem locum obtinuisse videtur calamistrum, *acus nempe major, quæ calefacta & fronti adhibita intorquet capillos*, ut tradit Servius Æneid. XII. 100. *Calamistra*, ait Varro lib. IV. de L. L. *quod heis calefacteis in cinere capillus ornatur*. Quanta arte quantaque luxuria feminarum Romanarum capilli in cirros, & cincinnos disponerentur ex antiquorum Scriptorum testimoniis ostendit superius laudatus Stanislaus Kobierzyckius lib. I. de Luxu Romanor. cap. 6. Porro ii, qui calamistris comam intorquebant *cinerarii* dicebantur.